

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

III.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

qua fiant posthac grata. Sed quorsum, inquires, omnia tam prolixè? Huc videlicet, ut cum mihi ipsi, colloquendo per literas tecum, coram non liceat fatisciam, tum vero ut intelligas, in quem olim puerum officia tua contuleris, eum esse gratum, mentemque atque memoriam servare gratam, senem. Annum enim nunc ago quinquagesimum tertium. Quod restat, Vir nobilitate, prudentia & virtute heroica, præstans, Oventus Ranzavius, Capitaneus Götterpensis, Collega meus, filium suum Melchiorum, abineunte ætate bonis literis imbui & disciplina laudabili informari curavit. Eum ad vos meo consilio studiorum causa mittit. Putat enim, tunc demum vere nobilitatem perfectam esse, cum conjunctam habet & eruditionem & animi morumque moderationem. Eum ego tibi commendo, quanto possum studio, oroque, ut si qua in re tuo opus habeat consilio, atque auxilio, (habebit autem quam maxime) ejus rationem habeas. Et cum pater valde sollicitè timeat, ne pravo consortio, communi juvenutis peste forte corrumpatur, ipsi apud doctum & honestum aliquem virum, cum de hospitio, tum de mensa prospicias. Faciet puer, ne te officiorum in se collatorum pœniteat. Faciet & pater, ut intelligas, hic quoque ad mare Balticum, in Cimbrica Chersoneso, homines esse beneficiorum memores atque gratos. Ego sane quod tibi de me amplius promittam, non habeo, debitor enim alias sum ad animam usque tuus. Filium autem DEI, Dominum nostrum, Jesum Christum, redemptorem nostrum, vero gemitu oro, ut cum in hoc mundo nos amplius coram non concernamus, in illa altera vita perenni vero gaudio confrui nobis concedat. Felicitissime interea vale. Slesvici, in die Concordiæ, Anno 1580.

Observantia tue deditissimus

Josias Marcus, D. & Holsatiæ
Procancellarius.

Inscriptio.

*Venerabili, summa eruditione, pietate & vita sanctimonia præstanti
Viro, Domino Joanni Marbachio, Theologia Doctore & Ecclesie Ar-
gentoratensis antistiti dignissimo, Domino suo & amico observandissimo.*



III.

S. D. Reverende & clarissime Domine Doctor.

Gratulor & tibi & patriæ communi de reditu in Academiam Heidelbergensem tuo. Quam ut *παιδιότητι της Θεολογίας, καὶ ψυχῶν διδασκαλίᾳ λαοῦ,* florens & diu-

& diuturnum & ad posteritatem stabile efficias, toto DEUM pectore precor. Lætor etiam, te fructum hunc studiorum & laborum tuorum uberrimum & jucundissimum percipere, ut senes parentes tuos, virtutis & gloriæ tuæ spectatores isthic præsentem habeas, ac ut diu hoc suavi contubernio frui isthic tibi liceat, opto.

Quod de præsentis Academiæ statu me docuisti, amanter gratum habeo, idque ut deinceps facias, oro. Significes etiam, quem in Stiriaca schola successorem reliqueris, & an pagellas illas legum, de quibus superiori anno scripseram, habere possim. Edidi epistolas aliquot Patriarchæ Constantinopolitani & Alexandrini, recens ad Germanos scriptas, quorum perustrationem tibi non insuavem fore spero. Lectum igitur exemplum Reverendo & clariss. seni patri tuo trades, eumq; reverenter & officiosè verbis meis salutabis. Pluribus enim libellis tabellarium morosum onerare non licuit. Apud nos omnia pristino loco sunt. Quem ex consiliariis isthic maximè amicum & familiarem habeas & sincerum judices, cupio à te doceri. Benè vale. Idibus Febr. 1580.

David Chytræus.

IV.

Quod de consiliario tibi amico quæsi, hæc causa est. Novisti Joannem Grevenstein, præfectum nobilium Menzingensium, Græcè & latinè benè eruditum (ur ex Græco carmine, quod scribit, judicari potest) & in omni officio diligentem ac fidum. Uxor etiam industria Oeconoma, ac rei culinariæ peritissima est. Is optaret, vel præfecturam aliquam, vel, quod maximè cupit, Oeconomiam in Academia sibi commendari, ubi Doctorum hominum consuetudine frueretur. Existimat autem, mea intercessione apud consiliarios se juvari posse, in quo haut dubiè fallitur. Sed tamen expectationi & voto ipsius vos respondere posse optarim. Quæso igitur, ut de tua voluntate & consilio aliquid nobis significes. Vir enim optimus ac verè *εργασίος*, h. e. officiosissimus est. Cujus tibi gratissimam fore conjunctionem non dubito. Si quid prodesse ipsi poteris, ita accipiam, ac si in me ipsum contulisses. Iterum vale.



V.

S. D. Reverende & doctissime D. Erasme.

Georgius ille, qui se Uranium nominabat, de cujus polypragmonicis & pleonecticis actionibus isthic susceptis, superiori anno, 3. Cal. Septembr. ad me
Hhhh 2 scri-